



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scholia In Primarias Preces Imperatoris

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

XXX. An Executores post obitum Papæ vel Cæsaris poßint gratiam Precum
exequi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

Executores Precis debent esse in dignitate, & conferre intra mensem.

QUODQUE QUICUNQUE) Tametsi Nominatio per Laicum ex concessione Papæ facta censeatur per Papam facta, cum is facere intelligatur, cujus autoritate, & mandato actus explicatur, *cap. Mulieres, in si. in sent. excommunicat.* Nihilominus quia Ordinarij non facillè parebant Indulto, quod Cæsari noviter creato dare solent Pontifices, idcirco eidem Pontifices executores dant, qui compellant Ordinarium ad conferendum, ut habetur in *cap. cum nostris, 6. de Concess. præb. cap. litteris e. constitutus. cap. ex insinuatione. cap. eam, de Rescript.* Et isti executores debent esse in dignitate constituti, ut hic habetur, quod etiam est juri conforme, ut textus est in *cap. statutum, in pr. de Rescript. in 6.* Debent autem providere Nominatis seu Precisis infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi beneficiorum innotuerit, & illa acceptaverint, seu duxerint acceptanda, ut hic habetur, extatque desuper Reg. Cancell. quæ habet, quod quicumque vigore gratiarum expectatarum acceptaverint quæcumque beneficia, debent intra unius mensis spatium à tempore hujusmodi acceptationis computandum de hujusmodi beneficijs, sic acceptatis per suos executores vel subexecutores facere sibi provideri, alioqui &c: quod ipsum etiam hoc Indulto Pontificio statutum est: Estque juri conforme, *Geminia in cap. 1. §. ex parte, in 3. de concess. præbend. ubi dicit quod executor datus ad providendum de beneficio, quod impetrans duxerit acceptandum, non potest conferre, antequam ille acceptet. Ubi autem acceptaverit, Executor conferet, etiam illo ad quem spectat collatio ne vocato, non monito, cum is sit merus Executor, Specul. lib. 2. tit. de actione, seu petitione super petitionibus nu. 21. & 22. ubi scribit Executorem ad providendum non debere admittere exceptiones contra rescriptum, aut personam ante provisionem factas, cum sit merus Executor. Quod hæcenus verum est, dummodo fuerint ipsi presentatæ litteræ: nam ante presentationem litterarum suæ facultatis Executor gratiæ Apost. non potest conferre vel providere, *e. cum in iure peritus, de off. deleg. Crescent. decis. 2. de off. deleg.* Sed an hæc acceptatio possit fieri in absentia Executoris? posse respondet *Geminia, c. 1. §. è contra, in 9. d. tit. & in c. 2. n. 8. d. tit.* ubi dicit posse etiam fieri acceptationem per procuratorem. Cæterum dubitatur 1. an isti Executores post obitum Papæ vel Cæsareis possit gratiâ exequi, seu nominatis conferre, & assignare beneficia his quib9 cõtingit Preces dari? Questio depõdet ab illa vulgari, an gratia etiã re integra expiret morte concedentis? & resolvit Põllex in *c. si super, 9. ff. de off. leg. in 6. & in c. si cui nulla, de præb. in 6. non expirare. Ideoq; Executor mortuo Papa gratiâ exequetur, d. c. si super gratia 9. de off. & potestate Iudicis delegati, Rot. decis. 185. in No Milis, in verbo Gratia facta. Rebuff. in Concord. Rub. de Mand. Apost. §. 1. verbo sui Pontificatus, vers. Not. a tamen. Cujus conclusionis ampliaciones, & limitationes vide apud Gabrieliũ, *tr. com. cõcl. tit. de præb. concl. 1. Man-***

Executor conferre non potest ante presentationem litterarum. Acceptatio an subsistat facta in absentia Executoris? Executor an post obitum Papa possit exequi.

1. Mandos ad Reg. 10. Cancell. q. 2. n. 2. Gutierrez lib. 2. pract. quest. 24. n. 2. & qu. 25. num. & sequentib. Et lib. 2. canon. quest. cap. 17. num. 3. Gonzalez ad Reg. VIII. Cancell. gl. 12. num. 42. & sequent. Primò extende, ut Capitulum sede vacante debeat conferre beneficia, quibus Episcopus vel Prælatus deberet, *VVames d. conf. 259. num. 9. & sequent. de prebend. vol. 1.* Secundò extende, etiamsi talis Prælatus dignitatem suam cum alio commutaret: cum Nominations istæ non tam personis, quarum nomina plerumque ignorantur, quam ipsis prælaturis fiant, quæ nunquam intermoriuntur, *cap. litteris, de rescript. VVames d. conf. num. 19.* Verùm, non obstantibus præmissis dicimus Executores re adhuc integra exequi non posse post obitum Cæsaris Preces concessas: aliud enim est querere, an gratia expiret morte Pontificis re integra, aliud an gratia Precum expiret morte Imperatoris? Priori casu, expirat re integra, adeo ut Executores illam etiam possint exequi post obitum Papæ, *cap. si super, de off. deleg. in l. 6. ibi Francus in pr. Rota decis. 349 in No. Si Papa, & decis. 285. si Episcopus, Lapus allegat. 17. an datio Executoribus Mandos. ad Reg. 10. Cancell. quest. 2. nu. 4.* Res autem dicitur integra ante provisionem: ideoque mortuo mandante expirat mandatum, *s. recte, instit. Mandat.* Ex quo sequitur per Reg. X. Cancellariæ Revocatoriæ expectatarum, quæ fit in craftinum assumptioni S. Pontificis non esse revocatas dictas expectativas per mortem concedentis, quando aliqua ipsarum non est sortita aliquem effectum, & ideo solent omnes in differenter revocari, quando novæ expectativæ conceduntur: nam, ut dicit Dominicus, post Lap. *in cap. si cui, de prebend. in 6. propter tulminationem processus, quam fecit Executor, præsentata sibi bulla expectativa nõ dicitur amplius res integra: & proinde talis gratia nõ revocatur ipso facto per obitum concedentis, nisi per successorem expressè revocetur, cap. penult. & fin. de prebend. in 6.* Secundò casu, in quo major difficultas versatur, quaritur an gratia expiret morte Imperatoris? Nam pro affirmativa facit quod privilegium illud quod habet Cæsar, est personale: atqui privilegium personale sequitur personam, & extinguitur cum persona, *L. in omnibus, ff. de reg. iur. c. Privilegium, de Reg. iur. in 6.* Hinc etiã fit, ut si Cæsar in vita sua nominationibus suis primarijs non fuerit usus, illius in Imperio successor duplici nominatione uti non possit, *Alber. Brun tract. de interit. & perempt. concl. 15.* quia deficiente Imperatore qui fuit causa Precum, deficiunt etiam gratiæ nominationum, quæ sunt illius effectus, *Cap. cum cessante, de appellat. Tirag. tract. cessante causa.* Sed cum videam hanc quæstionem modo agitari in Collegiata Ecclesia B. Mariæ virginis in Capitolio urbis Colonienfis, lubet illam paullo exquisitori Minerva discutere. Casus autem talis est: Dominus Widenfeldt primarias obtinuerat nominationes à Cæsare Matthia ad primam vacaturam in dicta Ecclesia B. Mariæ, quas Dominæ Abbatissæ, & Capitulo per suos Procura-

Morte Pa-
pa expirat
potestas
executoris
re integra.
Res inte-
gra quan-
do dica-
tur?
Expecta-
tiva non
revocatur
per
mortem
conceden-
tis quan-
do non
sunt sor-
tita effe-
ctum.
Per sul-
minatio-
nem pro-
cessus non
dicitur
amplius
res inte-
gra.
An Pre-
ces expi-
rent mor-
te Cæsaris?
Successor
in Imperio
non utitur
privilegio
Cæsaris si
non fuerit
usu privi-
legio.

Cæsar in
una B.
Mariæ in
Capitolio
urbis Co-
lonien.

tores insinuari curavit, quæ etiam pro insinuatis receptæ sunt: verum, priusquam contingeret alicuius præbendæ vacatio, è vivis excessit Cæsar Matthias Preces ejusmodi concedens, idque Martij die 20, Anni 1619, Paulo post, hoc est, in Aprili contigit aliquam præbendam vacare, cujus collationem sibi per procuratores suos ab Abbatisa & Capitulo fieri dictus Precista petijt: id quod ei abnuvit dicta Domina Abbatisa, eo quod per mortem Cæsaris Preces evanuisissent, & tandem collatis suffragijs eorundem, præbendam, uti in suo mense vacantem, cuidam Putz contulerunt: quærebatur utrius potiora essent jura? Sires mei arbitrii esset, prætulerim Dominum Putz, cum ex dictis, tum ex rationibus sequentibus.

Preces morte Cæsaris expirant re integra.

Prima est, quod ius illud nominandi, seu Preces Primarias concedendi Cæsar habet ex privilegio Pontificio contra iuris communis dispositionem, quia beneficia omnia in omnibus mensibus iure communi spectant ad collationem Ordinarii, *Caput aq. decis. 214, num. 6. part. 1. Cassad. decis. 3. num. 4. & decis. 4. num. 1. & 2. de privileg. Gonzalez ad Reg. VIII. Cancell. glos. 11 num. 38. & seqq.* Privilegia autem contra ius commune non extenduntur de persona in personam, etiam ex identitate rationis, *Ant. de But. in cap. sane, de Privileg. Bald. in L. 1. in princ. ff. deleg. Gemina. in cap. ne aliqui in 4. not. de Privileg. in 6. Decias conf. 32. & 11. col. 1. & conf. 516. col. si. Card. Tuschus qui illos allegat, tom. 6. practic. conclus. 731. num. 7.*

Mandatum morte legati expirat re integra.

Secunda, quia mandatum factum per legatum de providendo certæ personæ de certo beneficio tunc vacante, moriente legato ante mandati executionem, ipso jure expirat, *per text. in cap. presenti, de off. leg. in 6. & cap. si cui nulla 2. resp. de præbend. in 6.* Idemque dicendum in alio habente certam potestatem beneficia certa auctoritate Apostolica conferendi, re integra moriente, scribit Bellamera *decis. 643 per tot.* Multo ergo magis expiravit gratia Precum per obitum Cæsaris re integra, & nulla adhuc existente præbendâ vacante. In qua opinione sunt etiam Gigas de *Pensio. quest. 91. num. 4. versic. & tenendo istarum, Mandos. ad Reg. 10. Cancell. quest. 2. num. 4.* Tertia, quia concessio non perfecta extinguitur morte concedentis, quando non est deventum ad effectum aliquem tendentem in effectum concessionis, ut si per Precistam non sit acceptatum beneficium, & gratia Precum non sit presentata Executoribus, vel Ordinariis, nec fulminatus processus, ut supra dictum est. Quarta, Privilegia deum sunt perpetua, nec expirant morte concedentis, si in vita fuerint sortita effectum, alioquin enim privilegium seu gratia prædecessoris in futuris nondum consummatis, nec inceptis nihil operatur, *per not. Cyn. in L. fin. C. in quibus causis, Restaurus Castaldus tract. de Imperatore, quest. 115. num. 1.*

Quinta